

textu expresso in cap. *Quantum* 2, De usuris in 6.

(94. Septima pœna est, ut nullus usurarios manifestos, seu notorios ad confessionem admittat, aut illos absolvat (etiam ab aliis peccatis), antequam vel restituant usuras, vel de satisfaciendo pro viribus suarum facultatum prædicto modo cautionem præstent, cit. cap. *Quantum* 2, De usuris in 6.

(95. Octava pœna est, quod si usurarii manifesti, seu notorii in eo peccato decesserint, Christiana et ecclesiastica careant sepultura, cap. *Quia in omnibus* 3, De usuris, et tit. cap. *Quantum* 2, De usuris in 6, ubi etiam additur, quod omnes religiosi, et alii, qui manifestos usurarios ad ecclesiasticam sepulturam admittere ausi fuerint, pœnam in decreto Lateranensis concilii contra usurarios edito promulgatam incurrant, nempe pœnam suspensionis statutam in capit. *Quia in omnibus* 3, De usuris. Et postea in concilio Lugdunen. relato in Clementina 1, *De sepulturis*, statutum fuit: ut qui usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt, ipso facto sint excommunicati, nec absolvantur, nisi prius ad arbitrium diœcesani episcopi competenter satisfactionem exhibuerint.

(96. Insuper præcipitur omnibus dominis locorum, et universitatibus, ne permittant alienigenas in terris suis conducere domos ad exercendas usuras, vel conductas habere, et ne quis eis ad hoc domos locet. Qui contra fecerint, si sint ecclesiastici majores, ut patriarchæ, archiepiscopi et episcopi, suspensionis; si vero sint minores personæ singulares, excommunicationis; si collegium, vel universitas, interdicti sententiam ipso facto incurrant. Et si per mensem in ea persisterint, ipsorum terræ sunt interdictæ, dum ibi dicti usurarii habitant; si vero sint laici, debent ab ordinario per censuram ecclesiasticam compelli ad cessandum ab hujusmodi excessu, textu expresso in cap. *Usurarum voraginem* 1, De usuris in 6.

(97. Præterea officiales communitatum facientes, aut dictantes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis, vel non restituendis, vel judicantes secundum illa, vel non delentes illa, si possunt, intra tres menses de libris communitatum, vel illa servantes, sunt excommunicati, textu expresso in Clementina *Ex gravi*, unic. *De usuris*.

(98. Usurarii præter supradictas pœnas a jure statutas, etiam aliis pœnis arbitrariis, et extraordinariis puniri possunt a iudice tam ecclesiastico quam sæculari, præsertim vero pecuniaria, ut in eo, in quo peccarunt, multentur: Tholosan., lib. III *De usura*, cap. ultim., n. 4 et 7; Pirhing, *loc. cit.*, num. 172; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 188, notantes, quod juxta constitutiones imperii multantur usurarii amissione quartæ partis de sorte principali. Sic etiam Gail., lib. II, observ. 4, num. 1. Vel etiam publicationem honorum, ut notant Tholosan., *loc. cit.*, n. 8; Pirhing, *loc. cit.*, n. 172, et alii.

(99. Ut usurarii incurrant supradictas pœnas, debent esse manifesti, seu notorii jure, vel facto. Illi autem sunt usurarii manifesti, et notorii jure, seu notorietate juris, qui in judicio hoc crimen confessi sunt, aut de illo fuerunt convieti, et condemnati, arg. cap. *Quæsitum est* 10, De cohabitatio clericorum, et mulierum, ibi: « Notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure. » Illi vero sunt usurarii manifesti, et notorii facto, seu notorietate facti, qui ita palam, et evidenter exercent usuras, ut nulla tergiversatione id negare et celare valeant, arg. cit. cap. *Quæsitum est*, ibi: « Aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, » et capit. *Olim* 24, De verborum significat., ibi: « Aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. »

(100. Iudex criminum usurariorum quoad censuras, et privationes ecclesiasticorum beneficiorum est solus ecclesiasticus: *Communis*, arg. e. *Decernimus* 2, c. *Qualiter et quando* 17, De judiciis, cap. *Nullus iudicium* 2, De foro competentis, cap. *Lator* 5, et *Causam quæ inter* 7, Qui filii sint legitimi, cum similibus. Et ratio est, quia ille est iudex quoad censuras, et privationes ecclesiasticorum beneficiorum, ad quem spectat imponere dictas pœnas: sed id spectat ad solum iudicem ecclesiasticum, cum potestas ferendi censuras sit solummodo penes Ecclesiam, juxta illud *Matth. xxvi: Quæcumque alligaveris super terram*, etc. Et: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, hoc est a fidelium communione segregatus, ut explicant omnes, ut etiam ad solum iudicem ecclesiasticum spectat imponere privationem ecclesiasticorum beneficiorum, arg. cit. *Juribus*, ergo, etc.

(101. Iudex autem criminum usurariorum quoad alias pœnas potest esse tam laicus quam ecclesiasticus, et datur locus præventioni, non solum quando est questio facti, seu quando crimen liquido usurarium est, sed etiam quando est questio juris, seu quando disceptatur, an hic, vel ille contractus usurarius sit, nec ne? Est communis, quoad primam partem, nempe quoad casum, in quo est sola questio facti, cum sic omnes concedant esse crimen misti fori, id est tam sæcularis quam ecclesiastici: et patet clare ex cap. *Post miserabilem* 12, De usuris. Quoad secundam vero partem, nempe quando est questio juris, defenditur a Farinacio, *Prax. crimin.*, q. 8, n. 140, concl. 4; a Menochio, *De arbitr. judic.*, casu 393, n. 4; Molina tract. 2, disp. 333, in princip.; Covarr., lib. III *Variar. resol.*, cap. 3, n. 1; Silvestro, verb. *Usura* 9, in princip.; Canisio, tract. *De usuris*, capit. 9, num. 4; Rossignol., contract. *De mutuo, et usuris prænot.* 16, num. 2; Pirhing, lib. V *Decretal.*, tit. 19, n. 142; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 193 et seq., et aliis pluribus contra Glossam in cap. *Cum sit* 4, verb. *Malefactores*, De foro competentis. Clarum verb. *Usura*, num. 8, et nonnullos alios volentes cognitionem questionis juris de

hoc crimine soli iudici ecclesiastico competere. Et ratio nostræ conclusionis est, quia crimen usuræ, non solum est prohibitum jure ecclesiastico, seu canonico, sed jure divino et naturali, ut patet ex dictis supra a n. 6. Nec plus spiritualitatis in se habet quam homicidium, furtum, adulterium, et similia delicta, quæ sunt contra justitiam, et prohibita lege divina et naturali; atqui de his criminibus potest cognoscere, et de facto teste experientia quotidiana cognoscit iudex sæcularis inter laicos, ergo etiam de crimine usuræ. Tum quia, ut fuit dictum supra, n. 15, usura si sit in maxima quantitate est prohibita etiam jure civili, ut patet ex l. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, et l. *Placuit* 29, ff. eod., adeoque, etc. Tum etiam quia in jure canonico nulli inventitur interdicti iudici laico cognitio usuræ in casu questionis juris, sed positive concessa in cap. *Post miserabilem* 12, De usuris, ubi sine distinctione inter questionem juris, et facti conceditur potestati sæculari facultas cognoscendi et iudicandi usuras. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, De privileg., l. *De pretio* 8, ff. *De publicana in rem actione*, l. *Non distinguemus* 32, De receptione arbitr., l. *Præses* 3, ff. *De offic. præsidii*; adeoque, etc.

(102. Ad exterminandas usuras plura declaravit Benedictus XIV, tom. I, constitut. 143, incip. *Vix pervenit*.

(103. Et primo, omne lucrum ex mutuo ratione mutui, usurarium et illicitum esse.

(104. Secundo, ad usuræ labem purgandam nullum accersiri posse subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit.

(105. Vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deponitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agendis negotiis utilissime sit impensurus.

(106. Tertio, inquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut aiunt, forte concurrere ipsi mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur causa aliquid ultra sortem ex mutuo debitam exigendi; atamen falso et temere affirmari dicit ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, ita ut illorum ratione, quotiescunque pecunia, frumentum aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere.

(107. Alia præterea edixit, atque in contractibus servanda enixe commendavit, uti patet in ipsa constitutione ut ibidem, (108. ubi a numer. 9 ad 12, insuper refelluntur Judæi sibi dictitantes licitum esse, usuras a Christianis inter quos degunt, exigere. Et *ibid.*, n. 19, (109. ubi quod principes tenentur usuras prohibere etiam Judæis in suis ditionibus degentibus, et contravenientes punire, ut qui ad legis di-

vinæ et naturalis observantiam nequeunt reduci virtutis amore, ab ejus transgressione absterreantur saltem formidine pœnæ, uti ad id teneri principes Christianos suis edictis, et episcopos suis constitutionibus. (110. quibus severe prohibeantur Judæi Christianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam a Christianis extorqueant et certa simul præscribatur quantitas lucri, ultra quam nihil impune exigere possint ex aliis contractibus cum Christianis initis, recte, et erudite suo more pluribus adductis docet idem Benedictus *Desynodo diœcesana*, lib. VII, cap. 47, n. 12 et 13, concludens ita ruperime statuisse episcopum Pisauriensem in sua diœcesana synodo habita 1742, tit. 4, num. 17, cujus exemplum poterunt alii episcopi imitari.

(112. Sed operæ pretium est integram afferre ipsam constitutionem, quam in forma encyclicæ ad omnes ordinarios Italiæ direxit Pontifex, ut sequitur.

Hanc constitutionem videre est in *Addit. Casin.*, sub verb. *MUTUUM* ad calcem tom. V, pag. 1881, not. 188.

(113. Alia ad rem vid. verb. *DEPOSITUM*; verb. *HEBRÆUS*; verb. *HYPOTHECA*; verb. *MUTUUM*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(114. Prohibitio usurarum an sit juris divini, an humani tantum, et an sit juris divini naturalis, an juris divini relativi tantum, expendi non est hujus loci.

(115. Illud est hic haud prætereundum, quod non solum ex mutuo, sed et ex quocunque alio credito mere pecuniario, regulariter velutum est quidquam ultra sortem accipere, non concurrentibus notissimis requisitis. Castrensis in l. *De eo quod certo loco*.

(116. Quod vero attinet ad primum requisitum repositum in interpellatione debitoris, supplere ipsum solet conventio interesse ratione lucri cessantis, et damni emergentis, ut respondit Rota in *Romana pecuniaria*, 20 Martii 1747, et in *Confirmatoria*, 6 Februarii 1748, § 12, cor. *Em. Bussio*.

(117. Quod concernit alterum requisitum constitutum in solito negotiandi, ipsum probatione non indiget, ubi agitur de mercatoribus, argentariis, etc., ut respondit idem tribunal Rotæ in dict. *Romana pecuniaria*, 20 Martii 1747, et in *Confirmatoria*, 9 Decemb. 1748, § 12, cor. *Em. Bussio*. Confer etiam idem sacrum tribunal in Mediolan. seu Lauden. *Pecuniaria*, 25 Aprilis, § 11, cor. *illustriss. Caprar. Alm. urb. gubernatore*.

(118. Quoad tertium demum requisitum promptæ occasionis, opinio Rotæ est, quod ad ipsum probandum non sufficiat affluentia negotiorum, quæ in magnis civitatibus esset, sed probanda est individua occasio, ea que in actu proximo, quæ ob non exactum creditum ad exitum perducere nequivit, exindeque creditori vel certum damnum emergerit, vel certum lucrum cessaverit; *Vide de-*

cisiones in *Melevitana pecuniaria*, 11 Februarii 1718, § *Quandoquidem*, et seq., et in *Confirmatoria*, cor. *Lancell.*, decis. 1181, n. 11, ubi tanquam vaga et generalis rejecta fuit occasio investiendi pecunias super quadam massa frumentaria erecta in insula Melitæ; et in *Romana pecuniar.*, 20 Martii 1747, § 5, et plurib. seq., et in *Confirmatoria* 11 Febr. 1748, § 13 et seq., cor. *Em. Busio*, ubi probatum non fuit, dijudicandum tertium hoc requisitum ex hoc, quod creditor esset argentarius, æs alienum interim contraxisset, et litteras cambii trahere in super potuisset.

(120. In allegata vero supra *Mediolanen. seu Lauden. Pecuniaria* constare ex eo existimatum fuit de hoc tertio requisito, quod de præciso tempore contractus in civitate Mediolani duæ publicæ ædes præmissis publicis edictis pecunias sub titulo et contractu subventionis recipiebant ab omnibus deferentibus cum interesse librarum quatuor in singula centum, ut ex § 14 ejusdem.

APPENDIX

Ad verb. USURA ex editione Romana.

(121. Inter quæsitæ proposita sacræ congregationi de Propaganda fide a missionariis Sinarum, nonnulla reperiuntur ad usuram spectantia, quæ hic traduntur cum responsionibus Patrum Qualificatorum S. Officii, quibus ab eadem sac. Congregatione demandata fuerunt, ut votum suum aperirent. Eorum responsa approbata fuerunt in congregatione generali, die 12 Septembris 1645. Porro quæsitæ, et responsa sunt sequentia, prout impressa reperiuntur typis ejusdem sacræ Congregationis.

(122. « In præfato regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiatur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis; quæritur utrum Chinesibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum incessans aut damnum emergens, prædictam pro centum, triginta quantitatem regni lege taxatam, accipere; et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui accipit mutuum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice repetere, vel propter alia hujusmodi.

(123. « Censuerunt ratione mutui immediate, et præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem; si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminenti, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, et probabilitatis, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

(124. « In universo Chinarum regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus usurarii publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam sumpto lucro, ad usuram dare solent, ea tamen conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant, et si tantis elapsis annis pignorum dominus pro iisdem recuperandis pignoribus, soluta

principali pecunia cum lucro non redierit, actionem et dominium, quod habebat in suis pignoribus illico amittat. Istæ autem domus, reipublicæ necessariæ sunt, et quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, a non desistendo a prædictis usuris, iudicis auctoritate compelluntur. Quæritur utrum, si hujusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supra dictam; vel quidnam in tali casu agendum sit?

(125. « Censuerunt, Chineses in statu usurario permanentes, baptizari non posse: si vero iudicis auctoritate compelluntur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore ultra sortem principalem, tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, et damni emergentis: tempore autem præstito, si ex venditione pignorum aliquid super sit sortis principalis, et lucro ex causis prædictis juste acquisito, domino pignoris esse restituendum.

(126. « Utrum prædictorum usurariorum filii, si quando in hæreditatibus eorum succedunt, jam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex usuris accepit, in toto, vel in parte, juxta male acceptorum excessum, et si hujusmodi usurariorum filii hæredes, jam Christiani, a republica, vel a iudice compellantur ad publicas usurarum domus patrum aperendas et sustentandas; quid in hoc casu ministri Evangelii pro sanandis istorum conscientis, facere debent?

(127. « Censuerunt, filios hæredes usurariorum teneri a patribus ex usuris illicite acquisita restituere, certis quidem dominis, si certi sunt, sin minus juxta regulas a doctoribus traditas; actuale vero restitutionem a doctis, piis et prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem hujus dubitationis, jam responsum est in proxime superiori resolutione. »

* *Novissimæ animadversiones in superiorem articulum.*

(128. Theologus, qui in Ferrarianæ Bibliothecæ editione in hac ipsa urbe anno 1761 curatæ, auctoris opiniones, quæ laxæ videbantur, opportunis animadversionibus castigavit, in not. ad verb. *Mutuum*, num. 37. « Novum, inquit, de mutuo articulum addere constitueram, in quo fustus et clarius mutui naturam ac proprietates exponerem, quo facilius lectores possent ex perspicua mutui notione intelligere, quid mutuo intrinsecum, quid extrinsecum sit, atque usuras non apertas tantum, sed etiam occultas et palliatas agnoscere, et devitare. Sed cum pleraque ex iis, quæ dicturus eram, ad usuram pertinerent, novum hunc articulum septimo adjiciendum tomo stabilivi, in quo de usura ex professo disputatur. » Verum non modo tomo septimo novum de usura articulum non adjecit, sed ne ullam quidem ad auctoris articulum notam apposuit. Igitur quod ille omisit, in hac editione supplebimus.

(129. Ne tamen lectoribus molesti simus, ea tantum referemus, quæ tradit P. Antoine, in tract. *De contractibus*, cap. 3, *De conditionibus requisitis*, ut liceat ultra sortem aliquid exigere ratione damni emergentis, lucri cessantis, et periculi; ac pacisci, ut mutuatarius, si ad terminum præstitutum non restituerit, aliquid solvat in pœnam suæ moræ.

(130. Igitur Antoine, cap. cit., quæst. 3, postquam, resp. 1 demonstravit, duos esse titulos extrinsecos mutuo, ob quos liceat aliquid ultra sortem exigere, damnum emergens, et lucrum cessans, resp. 2, inquit: « Ex communi sententia ut possit juste aliquid ultra sortem exigere ob damnum emergens, quinque requiruntur: 1° Ut mutuum sit vera causa damni, alioqui fictus esset titulus, et vera usura. 2° Ut damnum proponatur mutuatario, nam libere consentire debet in illam compensationem mutuo extrinsecum; alioqui admonitus posset forte alibi sibi providere sine hoc onere. Quare si admonitus non fuit, non tenetur damnum compensare, etiamsi postea eveniat, modo non fuerit per moram culpabilem causa illius: nam tunc non tenetur ratione culpæ, neque rei acceptæ, neque pacti additi mutuo, neque etiam contractus mutui; mutuum enim est contractus stricti juris, ex natura sua obligans solum ad reddendam sortem. 3° Ut auctarium non sit majus damno orto ex mutuo: alioqui excessus esset usurarum, nam exigeretur ratione mutui, et sine justo titulo. 4° Ut compensatio non exigatur ante tempus, quo damnum eventurum prævidetur, quia tunc solum urget titulus. 5° Ut alter non cogatur ad aliquid solvendum, quidquid evenit, si velit se obligare ad solvendum totum damnum emergens, quod reipsa continget: alioqui ei imponeretur onus, ad quod ex mutuo non tenetur, cum solum possit obligari ad reddendum mutuantem indemnem. »

(131. Mox, resp. 3, subdit: « Ut auctarium juste exigere possit ob lucrum cessans, ex communi sententia requiruntur hæ conditiones: 1° Ut mutuum sit vera causa, cur lucrum cessat: ac proinde ut mutuans ante petitum mutuum habeat facultatem proximam lucrum ex pecunia faciendi alia via justa, et pecuniam, quam mutuat, jam destinavit negotiationi, vel contractui justo quæstuoso, nullasque alias habeat pecunias otiosas, id est non destinatas lucro justo faciendi, nec familiæ sustentationi, nec filiarum doli, nec provisioni casuum fortuitorum, quos prudens paterfamilias cavere debet. Nam revera lucrum ei non cessat ob mutuum, qui antequam peteretur, non destinaverat pecuniam suam negotiationi vel emptioni rei frugiferæ, vel censui, vel societati, aut non habebat facultatem proximam justum lucrum ex pecunia faciendi, aut habebat alias pecunias otiosas. Nam tunc ex pecunia, quam mutuat, nullum lucrum fecisset; ideoque talis nihil potest exigere ratione hujus tituli, utpote non exstantis. Idem dic de eo, qui abstinens a negotia-

tionem, interim se applicat alteri rei nec molestiori, nec nimis quæstuosæ, cui vacare non potuisset negotiando: nam lucrum cessans per omissionem negotiationis compensatur per aliud lucrum, quod negotiando consequi non potuisset; et sic ei lucrum non cessat ex mutatione, quæ revera ab æquali lucro eum non impedit. 2° Ut lucrum sit certum, aut probabile: nam si sit solum possibile, non est pretio æstimabile, cum mere possibilitium ratio non habeatur, et in æstimatione morali potentia remota lucrandi ex pecunia nihil addit pecuniæ spectatæ secundum se. 3° Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, et in illius compensatione consentiat: alioqui ad illam non tenebitur, nisi per moram culpabilem solvendi fuerit illius causa, ob rationem supra dictam; quia onus extrinsecum contractui imponi non potest contrahenti sine illius consensu. 4° Ut non exigatur totum lucrum quod speratur, sed solum quantum spes illius iudicio prudentum valet, deductis sumptibus, et æstimatione periculi ac laboris. Nam res solum sperata non est tanti valoris, quanti habita in seipsa, seu jam existens, propter pericula, et impedimenta, quæ venire possunt: sic semen sparsum in agro minus valet, quam messis ipsa, quæ speratur. 5° Ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed solum pro tempore, quo lucrum fuisset; nam qui, verbi gratia, mutuat centum, et statim accipit decem pro lucro cessante, jam non mutuat alteri centum, sed solum nonaginta; solum enim nonaginta retinet mutuatarius, et tamen mutuans tantumdem exigit pro lucro cessante ex nonaginta, quantum ex centum; quod est injustum et usurarium, cum tunc lucrum ei solum ex nonaginta cesset. Præterea quod pro interesse solvitur, eidem subrogatur; et ejus, quod nondum exstat, subrogatio exigi non potest. His adde, ut quis excusetur usura coram Deo ratione hujus tituli, requiritur, ut mutuet animo gratificandi proximo, non autem spe commodioris lucri. Nam si mallet mutuare quam negotiari, intenderet principaliter lucrum ex mutuo, et sic peccaret. Quare, ut ait Sylvius, requiritur, ut is qui mutuat, non sponte subtrahat suam pecuniam a negotiatione prius quam mutuet, intendens proprium commodum, et malens mutuare cum certo lucro, quam negotiari cum incerta spe lucri: sic enim fide pacisceretur de lucro cessante, cum pecunia jam subtracta sit a potentia lucrandi, utpote nec secundum voluntatem ejus exposita negotiationi, aut destinata contractui justo quæstuoso, atque adeo lucrum, si quod cessat, non cessat ex mutuo, sed ex eo quod negotiari noluerit, aut aliter contrahere. Idem docet Totelus, asserens doctores convenire, quod cum quis sponte alteri offert suas pecunias mutuo, nec coactus nec rogatus, non potest licite lucrum ab alio exigere, cum ipsi sponte suas pecunias a negotiatione auferat. »

(132. Inde, quæst. 14: *An liceat aliquid*

ultra sortem exigere ratione periculi ejusdem sortis: resp. 1, evincit, nihil licere exigere a pauperibus ratione periculi sortis, orti ex eorum inopia: deinde responsione, « Multi docent, inquit, licere aliquid ultra sortem pacisci, et exigere ratione periculi mutuo extrinseci... Idem dicunt de extraordinariis facultatibus, laboribus, impensis, molestiis probabiliter in recuperanda sorte subeundis ex culpa mutuatarii, eo quod hæc sint mutuo extrinseca, et pretio æstimabilia. Sed ut hoc titulo aliquid possit juste exigi, has requirunt condiciones: 1° Ut periculum sit vere probabile, et extrinsecum mutuo, ne hoc prætextu pallientur usuræ: quale non est, quoties mutuatarius est industrius, verax, justus, etc., de quo non datur prudens præsumptio, quod non sit soluturus. 2° Ut in hoc auctarium consentiat mutuatarius. 3° Ut mutuans non compellat illum ad secum paciscendum de periculo, sed ei relinquat libertatem assecurandi sortem per pignus, hypothecam, vel alium fidejussorem; alioqui sine causa imponeretur illi onus pretio æstimabile, ad quod non obligatur, quod est usurarium. 4° Ut non plus exigatur, quam iudicio communi prudentum valeat tale periculum subeundum, habita ratione quantitatis summæ mutuatae, et magnitudinis periculi, servataque proportione inter periculum et auctarium. »

(133. Postremo, in resp. ad quæst. 13, statuit ex communi sententia per se licitam esse in mutuo pactionem, ut mutuatarius, si ad terminum præstitum non restituerit, aliquid solvat in penam suæ moræ positæ certis conditionibus. Condiciones porro sunt istæ: « 1° Ut id non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures, utrum solvatur tali tempore, an non; vel si optes non solvi, vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constituas, tunc pena apposita est velamen usuræ, et revera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2° Ut debitor vere sit in culpa, non solvendo notabili tempore post transactum terminum: nam sine culpa nulla potest juste imponi, nec exigi pena, ex l. 22, cod. De pen., et cap. 2 De constit., ibi: « Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. » Hinc pena non debetur, si debitor sine sua culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est difficultatem tantam, ut creditor censeatur rationabiliter invitatus circa solutionis dilationem. 3° Ut pena sit moderata secundum mensuram culpæ et rei mutuatae: alioqui esset injusta, et inique cogere alter in eam consentire, ideoque non potest peti quoad excessum. Hinc pactum, ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit, est prohibitum, l. 1 et 3, cod. De pact. pignor., et c. 7, De pignor. Quod si pars debiti solvatur, non potest tota pena exigi, sed tantum pro ratione partis non solutæ, cap. 19, De penis. Idem dic, si mora non sit notabilis; nam si per

biduum, vel hebdomadam ultra terminum præfinitum solutio differatur ordinarie, non debet æstimari culpa digna pœna constituta saltem tota.

(134. Cæterum Ballerinius in prælect. de usura præmissa secundæ parti Summæ theologicæ S. Antonini, edit. Veron., cap. 5, § 26, hæc propositionem statuit: « Periculum sortis, seu capitalis in mutuo æstimabile non est, ideoque justus lucri titulus non potest. » Cui hæc § 27, subjicit: « Difficilis exactio sortis, ac expensarum, vel damni alicujus ob eandem subeundi periculum æstimabilia quidem sunt, quatenus justam expensarum, et damni æstimationem restorationis nomine præstituant; quatenus autem eo titulo certum aliquod lucrum supra dictam æstimationem creditori provenit, titulus est palliatus, qui ab usura vindicari non potest. » In cujus quidem propositionis seu explicatione, seu confirmatione, § 2 et 3, exponit responsionem ad 1, ex quæstis de usura S. congregationi de Propaganda Fide propositis, quæ in Veneta editione anni 1777, articulo huic primum addita fuerunt, ut Appendix ex edit. Romana, in qua tamen eam reperire non potui. Sic autem habet: « Nonnulli... hæc auctoritate potissimum moti, probabile et extraordinarium periculi capitalis periculum in quæsito, uti putant, expressum iis verbis, quæ debitoris fugam indicant, tanquam justum lucrandi titulum a Congregatione approbatum inculcant. At ex tribus periculis capitibus, quæ in quæstione proposita recensentur, duo postrema ad difficultem exactiois expensas, et moræ damna manifestissime pertinent, nimirum quod debitor tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice repetere. Solum de primo, quod in debitoris fugam rejicitur, ambigi potest. Verum non amissionem debiti necessario significat, quod si per fugam pereat, nunquam sane fiet, ut aliquid recipiatur ratione periculi: sed ad expensas referri potest, quatenus fugientem querere, ut ad restitutionem compellatur, expensas sæpe maximas devorat. Aliunde debitoris fuga, inter ea particula est, quæ in contrahendo particulari mutuo uti possibile ad summum concipiuntur, non autem uti probabilia, quæ pretio æstimari non posse ostendimus § 27, num. 3. Enimvero fugam (l. 1, tract. 9, num. 4) S. Zeno nominatim appellat inter cætera, quæ debitorem extorquet, ut ne hæc de re lucrum a creditore perceptum ab usura vindicandum existimari: in Scriptura pariter cum malitia debitorum creditum deceptorum reprehenditur Ecclesiastici xxix, nec lucro tamen usuræ damnando, pariter; fuga, quæ præcipuum decoquentium medium semper fuit, lucri justus titulus non agnoscitur. Id tandem periculum omni ævo commune nunquam æstimarunt SS. Patres, ut num. 1, § 27, observavimus. Itaque ne quid sacra Congregatio probasse dicatur contra tantam auctoritatem, ea aut non probavit periculum ex fuga, sed alia duo tan-

tum, ac cætera indicio tacta iis verbis, vel propter alia hujusmodi; aut illud ita probavit, ut non ad capitalis periculi periculum, sed ad expensas, et damna in recuperando capitali subeunda retulerit. In responsione quidem ipsius congregationis nullius periculi in quæstione memorati distincta fit mentio, sed in genere pretium approbatur ejus periculi, quod æstimabile sit; et sicut nihil deciditur circa quantitatem pretii proportionati, ita nec circa quantitatem periculis, quænam æstimabilia sint, vel non. Id iudicii, et æstimationis theologis relinquunt didicandum, ita ut nihil certi, pro hoc vel illo periculi capite, num, et quantum æstimabile sit, definitum dici queat. Igitur hoc congregationis decretum, cum nihil pugnat adversus dicta § 26, tum ad expensarum, ac damni periculum æstimandum pertinet, de quo hæc in propositione statuimus. » Vide quæ subdit n. 3 et 4.

(135. Hæc illa sunt, quæ auctoris de usura articulo subjienda duximus, ut lectores a laxis opinionibus, quas ex casuistis plerisque Lucius proposuit, sibi caverent. Qui plura cupit, legat præter Antoine, et Cunitiati locis citatis, Colet in Continuatione Prælectionum theologiarum Honorati Tournely, tract. De contractibus, part. II, cap. 2 et 3, et Concina, in Theolog. Christ. theologico-morali, in tract. De justit. et jure, lib. III, diss. 3. Si quis autem controversiam hanc totam penitus scrutari voluerit, consulere poterit opera ab eodem Concina, et Petro Balleriniõ adversus veteres, novosque usurarum patronos vulgata, quorum titulos damus. Petri Ballerini prælectio De usura, quæ num. 2, est ex Prælectionibus ejusdem, part. II Summæ theologicæ S. Antonini præmissis. Eiusdem, De jure divino et naturali circa usuram libri sex, in quibus

adversus hæreticos usurarum patronos tum recentes, tum antiquiores catholicum præsertim dogma fusc defenditur. — Præmittitur Præfatio cum historia de origine, auctoribus, et varietate hæresis impugnandæ, unde contra illam magnum vel ex novitate præjudicium exsurget, Bononiæ 1747. Eiusd. Vindicatæ juris divini ac naturalis circa usuram, quæ veluti liber septimus haberi possunt adversus Opus novissime editum de usuris licitis et illicitis, Nicolai Brædersen. — His vindiciis, capite ultimo, inseritur peculiaris dissertatio de concilio Viennensi sub Clemente V ejusque decretis, Bononiæ 1747. Eiusd. Appendix trium Opusculorum in materia usurarum: 1° De montibus pietatis; 2° De pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito ex eadem lucro; 3° De inani contractuum implicitorum systemate, quo omnes fere contractus, reipsa feneratorios, ab usura purgare nonnulli theologici contendunt. Eiusd. La dottrina della Chiesa cattolica circa l'usura dichiarata, e dimostrata contro le pretese della novella opera intitolata: Dell'impiego del denaro libri tre, Verona 1744. — Si danno per appendice alcuni ecclesiastici documenti molto importanti, seconda ediz., Bologna 1747.

Opera autem a Concina de hoc argumento edita hæc sunt: In epistolam encyclicam Benedicti XIV adversus usuram Commentarius, quo illustrata doctrina catholica, Nic. Brædersen, ac aliorum errores refelluntur, Romæ 1746; 2° Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata adversus mollioris ethices casuistas, et Nic. Brædersen. — Accedunt appendices duæ ad Commentarium auctoris adversus usuram, Romæ 1746; 3° Esposizione del dogma, che la Chiesa romana propone a credersi intorno l'usura colla confutazione del libro intitolato: Dell'impiego del denaro, Napoli 1746.

USUSFRUCTUS, USUS.

Hæc porro expendenda ad rem veniunt.

(1. Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. Communis, textu expresso in l. Ususfructus 1, ff. De usufruct., et instit. eod. tit. (2. Usus autem est jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia: Communis, per text. in l. Cui usus 2, ff. De usu et habitatione, et instit. eod. tit., § 1 et seq.

(3. Unde minus juris est in usu, quam in usufructu: cui enim usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest, textu expresso in cit. l. Cui usus 2, ff. De usu et habitatione, ibi: « Cui usus relictus est, uti potest, frui non potest, » et instit. eod. tit., § 1, ibi: « Minus autem juris est in usu, quam in usufructu, nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam oleis, pomis, floribus, feno, stramentis, et lignis ad usum quotidianum utatur. In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque

iis per quos opera rustica fiunt, impedimento, nec ulli alii jus quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest; eum is, qui usufructum habet, possit hæc omnia facere.

(4. Ubi, ut vides, in hoc potissimum differt usufructus ab usufructuario, quod usufructus habet tantum jus utendi re aliena, et percipiendi solos fructus necessarios ad suum, suæque familiæ, et hospitium victum, seu usum quotidianum, non tamen potest omnes fructus percipere, eosque suo arbitratu vendere, seu alienare. Usufructuarius autem habet jus utendi re aliena, et percipiendi omnes ejus fructus, eosque suo pleno arbitrio vendere, donare, et quocunque modo alienare. Hinc ille, cui usus duntaxat hortu relictus est, potest quidem in ipso deambulare, poma, olera, et alia, quæ ibi nascuntur ad suum, suæque familiæ, et hospitium victum, seu usum quotidianum accipere, et eos pro suo arbitrio vendere.